



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

V. Quomodo in hac miseria omnibus priuati virtutibus deiiciuntur,  
tandemque cataclysmate de ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

nimia perculsus inuidia, rimari callide versutus cœperat, qui infidiis, ne ad tantam numinis conscenderet gloriam, subdolos deciperet: pro nihilo forte ducens concessa, illicita nimium adlubescendo laudans, mulierem admodum fragilem pellexit. Quæ sui detrimenti minime contenta, virum muliebriter victum blandis suasionibus delinitum, exili heu malo gustato sibi similem faciens, perdidit.

## V.

*Quomodo in hac miseria omnibus priuati virtutibus deiiciuntur, tandemque cataclysmate de....*

Vtrique tandem præfatis priuati donariis, paradisi eliminati metis, in præsentis vitæ ærumna miserimi deiiciuntur: contemnentes conditorem, a cunctis insequuntur creatis. Vita desit, mors inoleuit. Virtutum caterua recedente vitiorum cumulus successit. Succedente nepotum profapia, successit cumulata criminum collegio: vniuersi cum suis sceleribus cataclysmate dempti, tandem, octo vtriusque sexus referuatis, tabescendo deficiunt. Vitiis copiose surgentibus, Conditor se hominem fecisse indoluit. Postremo misericors mortalibus vt pollicitus est succurrit.

## VI.

*Quomodo Christus natus sua nos passione redemit, & caelos conscendere fecit.*

Stella emicuit matutina qua e suo radio mundi tenebras fugaret. Fausta resplenduit Maria, cuius vtero virginali Christus ineffabiliter editus, peccatorum tenebras mediator clementissimus dempsit. Viguit Christus virtutibus plenus. Incanduit Iudæa ingenti rancore repleta. Carnem suscipiens pro nobis pati voluit. Quod eius permisso infelix audacter compleuit Iudæa. Ligno quippe perditum, ligni scandens gabulum, genus redemit humanum. Vniuersas namque hominum dæmon nationes ludificando insultans, iure vt mandati transgressorem possidens, mortem mulctabat perpetua. Sanguis vero a mortuis vltorem trophæo crucis diuisit. Prædam de perfidi leonis ore tulit, secumque super æthera vehens superius angelorum cœtibus confociauit; vt cum eo communi con-

tubernio